



TRACTATUS VII. DE ANGELIS.

NON possumus non ubique, sed in hoc præcipue Angelicali tractatu D. Thomæ firmiter adhærere, qui varijs de causis *Ang. Doctor.* nomenclatura ab Ecclesia Capitibus insignitur: nam si, quæ sunt hominis, nemo novit nisi spiritus hominis; quæ sunt angelus, quis novit nisi spiritus Angeli: Hunc tractatum in tres disputationes fecabimus. In prima agemus de eius Substantia tam secundum se, quam in ordine ad locum. In secunda de eius Intellectu. Et denique in tertia de illius Voluntate.

DISPUTATIO I.

De Angeli substantia.

OMnia, quæ de Angelis disputari solent, reducuntur ad eorum naturam, & proprietates. Et quoniam omnis substantia præceterit suas proprietates tam in executione, quam in ignitate; ideo primam hanc disputationem eorum substantiam dicamus, in qua agemus de ea tam secundum se, quam per ordinem ad corporalia.

DUBIUM I.

Utrum Angelus, qui sit omnino incorporeus, existat in rerum naturâ

TITULUS propositus ad duas questiones solvendas conducit, nempe ad *an est*, & ad *quid est*. Pro eius tamen luce: Observe *primò*, hoc nomen *Angelus*, quod est nomen græcum, non esse nomen essentia, sed officij, ut communiter sentiunt PP. ad illud ad Hebræ. 1. *Qui facit Angelos suos Spiritus*. Vbi D. Ambrosius ait: *Quartus nomen naturæ? Spiritus. Nomen officij? Angelus. Spiritus enim est, et quid est. Angelus vero; et quid agit. Esti semper spiritus sit, non tamen Angelus*. Significat autem latine idem quod *Nuntius*. Et ita omnes, qui nobis legem annuntiant, *Angeli* dicuntur, ut Christus Dominus, Ioannes Baptista, & quilibet Dei minister, qui divinam legem nobis declarat. Sed licet hæc ita sint, usus tamen Theologorum, & SS. PP. frequentius usurpat illud pro spiritibus Angelicis, seu substantijs purè spiritualibus completis, quæ à Peripateti-

cis *Intelligentia* appellantur; & à Platone superiores spiritus dicuntur *Dij*, & inferiores *Dæmones*. Et in hoc sensu sumitur in præfati *Angelus*, prout omnes Angelos tam bonos, quam malos, tam superiores, quam inferiores comprehendit.

Observe *secundò*, quod sicut *corpus* potest sumi tripliciter; primò pro tertia specie quantitatatis, quæ trinam dimensionem importat: Secundò pro materia, quæ est pars compositi substantialis materialis: Tertiò pro toto composito ex materia & forma substantiali coalescente: Ita *incorporeum* alijs tribus modis potest accipi: primò pro eo quod non habet extensionem quantitativam: Secundò pro eo quod caret materia: Tertiò, pro eo quod non componitur ex materia, & forma. Titulus questionis intelligendus est de tribus modis incorporeitatis: quævis eam in diversos §§. & adertiones dividamus: ad quod nos cogit tam modus procedendi Div. Thomæ, qui tam in præfati, quam in 2. Contra gent. per diversos articulos, & capita tractati: tum varietas sententiarum, quas suis locis referemus.

§. I.

Affertio prima circa quantitatem.

Dicendum est *primò*, Angelos, qui sint inextensi per quantitatem, existere in rerum natura. Hæc conclusio habet saltem virtualiter duas partes, scilicet & Angelum existere, & carere quantitate. Et quoad primam est de fide: quia eam declarant manifeste innumera sacræ paginæ testimonia, in quibus refertur, Angelos esse, & apparuisse. Et ipsa

ex

Dub. I. Utrum Angelus, qui sit omnino incorporeus, existat &c?

experientia non obicere id ipsum testatur: nam plures effectus videmus, qui præstari non possunt nisi ab aliqua superiori & incorporea substantia, ut constat in Magorum operibus, & in emergentibus: videmus namque rusticas puellas, & ignaras varijs linguis loquentes, divinantes, & secreta detegentes: qui effectus, cum vires totius nature corporeæ superent, à nulla causa connaturali oriri possunt. Nec potest dici, illos provenire ab animabus separatis. Nam ista (ut ait D. Thomas infra quæst. 117. art. 4. & nos dicemus infra) separatæ à proprio corpore alia corpora localiter movere non possunt, ut petunt prædicti effectus. Neque etiam à Deo, ut à motore specialis: Quia plura, quæ ab emergentibus fiunt, & dicuntur, sunt valde indecentia.

3. Secunda pars, quamvis non sit de fide, est adeò certa, ut opposita sit temeraria: quia est contra SS. PP. & Theologorum consensum ad illud Psalm. 103. *Qui facis Angelos tuos spiritus*. Et constat ex Concilio Lateran. cap. *Firmiter, de Summa Trinit.* ubi dicitur: *Creator omnium, qui ab initio temporis utranque de nihilo condidit creaturam, spirituales, & corporales, Angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam.*

Et probatur ratione Div. Thomæ in hæc quæst. 50. art. 1. Nam in hoc universo debet dari creatura purè intellectualis: sed creatura purè intellectualis nequit non carere quantitate: ergo in hoc universo datur creatura carens quantitate, & hæc *Angelum* appellamus. Minor supponitur ex his, quæ docent N. Complut. abbrev. in lib. de *Animâ*, ubi recte probant id, quod est quantitate extensum, non posse elicere operationem nisi per organum corporale: nec posse eius operationem versari nisi circa singularia, ut liquet in sensibus sive externis, sive internis. Econtrâ verò natura purè intellectualis solum potest operari per *intelligere*, & *velle*, quæ exerceri non possunt medio organo corporali: & aliunde non solum attingit singularia, sed etiam universalia. Maior verò probatur: Nam univertium hoc est valde bonum & perfectum; sed in universo valde bono & perfecto debet dari creatura purè intellectualis: ergo in hoc universo debet dari creatura purè intellectualis. Maior satis liquet ex illo Genes. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*. Minor verò probatur: Nam univertium valde perfectum est perfecte simile Deo, similitudine illa, qua creatura potest illi assimilari: sed non esset perfecte simile Deo, si in eo non esset creatura purè intellectualis, ergo. Minor probatur: Non esset perfecta similitudo in universo hoc cum Deo, nisi in eo esset aliqua creatura particularis, quæ esset ei similis, in eo quod est ei ratio agendi, & propterea vnus ignis, qui est

effectus alterius, est ei perfecte similis; sed Deus vnice agit per intellectum, & voluntatem: ergo non esset perfecte simile Deo, nisi daretur in eo creatura purè intellectualis, id est, agens præcisè per intellectum, & voluntatem.

4. Et confirmatur *primò*: Nam possibilis est gradus creaturae purè intellectualis: ergo defecto datur. Antecedens videtur certum: Tum, quia non est ratio, cur Deus non possit participari ab aliqua creatura completa modo purè intellectuali. Tum etiam quia sunt possibiles, & defecto dantur speciales gradus essendi, vivendi, & sentiendi: ergo etiam est possibilis gradus purè intellectualitatis. Et consequentia probatur: Nam si in hoc universo non esset creatura, in quibus essent speciales gradus essendi, vivendi, & sentiendi, rectè deduceretur, nisi veritatem hoc non esse perfectum, & perfecte simile Deo; sed gradus purè intellectualitatis est perfectissimus inter omnes gradus creatos possibiles: ergo vel hoc univertium non est perfectum, vel in eo datur creatura purè intellectualis. Vide D. Thomam opuscul. 2. cap. 75.

Confirmatur *secundò*: Nam totus gradus debent esse divisi in hoc universo magno, quot sunt adunati in universo parvo, videlicet, in homine (homo enim dicitur *Microcosmos*, id est, epilogus, seu mundus parvus) sed in homine est gradus intelligentiæ cum gradibus essendi, vivendi, sentiendi: ergo in universo hoc magno est gradus purè intellectualitatis. Minor expressè traditur à D. Greg. hom. 29. in *Evang.* ubi ait: *Omnis creatura nomine signatur bonorum: habet enim commune esse cum lapidibus, vineæ cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis*. Maior verò probatur: Quia aliàs nec homo diceretur *mundus minor*, nec hoc univertium diceretur *mundus maior*, ut ex se constat.

5. Nec desert, si rationi respondeas *primò*, ex ea non satis probari, creaturam purè intellectualem existere: Nam cum Deus, etiam agens per intellectum & voluntatem, libere operetur ad *extra*, non potest sufficienter probari aliquid egisse, nisi ex Scriptura, vel experientia, aut effectibus: Cum ergo ratio D. Thomæ ex nullo capite ex illis procedat, aperte sequitur, non esse sufficientem.

Contra est: Tum, quia ex Scriptura, & PP. satis habetur, univertium hoc fuisse à Deo productum, & hoc satis habetur in ratione D. Thomæ; sed ex hoc rectè probatur fuisse productum cum omnibus suis gradibus: ergo rectè probatur ex ratione D. Thomæ, naturam purè intellectualem fuisse à Deo productam. Minor probatur: Tum ex D. Thomâ supra quæst. 22. art. 4. ubi ait: *Post bonitatem autem divinam, quæ est finis à rebus separatus, principale bonum in ipsis rebus existentibus est perfectio universi; quæ quidem non esset, si non omnes gra-*

aus

esse essendi invenirentur in rebus. Unde ad divinam providentiam pertinet omnes gradus essendi producere. Tum etiam: nam ratio Div. Thomæ supponit ex Scriptura, univ. hoc esse à Deo productum; sed univ. productum à Deo petit esse integrum: sicut si constaret, hominem alique productum immediate à Deo absque concursu alicuius cause particularis, recte probaretur esse productum cum suis omnibus partibus integralibus, quia id exigit suavis providentia Dei: ergo ex ratione Div. Thomæ recte probatur, productam esse à Deo naturam purè intellectualem. Adde: Nam omnis defectus in univ. permissus pertinet, & ordinatur ad perfectionem univ. & propterea D. Thomas quasi. 6. de Pot. art. 2. ad 8. ait: Dicendum, quod monstrum licet fiat contra naturam particularem, non tamen fiat contra naturam universalem: ergo iuxta suam providentiam Dei, quicquid à Deo producitur, vel permittitur, debet ordinari ad bonum univ. si: sed quod natura purè intellectualis non produceretur à Deo, neque ordinari ad bonum univ. si: siquidem hoc, vt potè nobilissima pars huius univ. si, ordinatur ad perfectionem illius ergo.

6. Nec refert, si respondeas secundò eidem rationi, ex ea tantum colligi, effectum productum ab agente per intellectum produci similem rationi agendi, que se habet per modum formæ intelligibilis, qualis est species intelligibilis, & non intellectus, vt liquet in domo producta per intellectum & voluntatem artificis: Porò vt effectus evadat similis formæ intelligibilis, non requiritur, quòd sit intellectus, vt in eodem exemplo apparer. *Maximè*: quia idea est forma, cui assimilatur hoc univ. si: & tamen hac non est intellectiva, sed terminus seu obiectum intellectus.

Non (inquam) refert: Nam univ. si hoc habet perfectam similitudinem cum Deo; sed hoc nequit stare, quin habeat modum essendi fundantem intellectualitatem: ergo Minor probatur: Nam perfecta similitudo essetis cum forma, per quam causa agit, prout condistinguitur ab alia inferiori similitudine, exigit, quòd modo sibi possibili habeat modum essendi similem ei, quem habet forma intelligibilis, vt recte probat Div. Thomas 1. Contra gent. cap. 46. sed modus essendi, quem habet forma intelligibilis, maxime in Deo, fundatur in natura purè intellectuali; ergo. Diximus modo sibi possibili: quia modus actus purissimi, entis à se, & infiniti, cum sit proprius Dei, nequit vili creature communicari.

Id quod additur de idea, facile corrigit. Tum, quia effectus non solum evadit similis idee existenti in intellectu agentis, sed etiam formæ intelligibili: ergo si est ei perfectè similis, debet

esse purè intellectualis. Tum etiam: Quia est idea in Deo non sit intellectiva, habet tamen modum essendi purè intelligibilem, ac proinde perit esse in natura purè intellectuali: ergo si univ. si hoc est perfectè simile Deo, debet esse in eo aliqua creatura, quæ sit purè intellectualis. Neque hac ratio militat in omni creatura in particulari. Quia Deus non intendit per se primò perfectionem cuiuslibet creature in particulari, sed perfectionem univ. si: quod non esset adeò perfectum, si tantum daretur creatura purè intellectualis.

7. Primæ confirmationis potest responderi, quòd in homine datur gradus intellectualitatis: ideòque ex eo, quòd in hoc univ. si non datur Angeli, non sequitur fore imperfectum. ¶ Secundæ confirmationis potest responderi, quòd ex eo quòd in homine datur omnes gradus univ. si, non sequitur existere separatam gradum intelligendi: sicut nec sequitur existere gradum sentiendi separatam à gradu vivendi.

Sed imprimis solutio adhibita primæ confirmationi non enervat eius vim. Primò: Quia gradus intellectualitatis creati est divisibilis essentialiter in plures modos homini & Angelo convenientes: sed gradus homini convenientis conducit ad perfectionem huius univ. si: ergo etiam modus intellectualitatis Angeli convenientis, vt potè perfectior, potiori titulo conducit ad perfectionem univ. si. Secundò: Nam univ. si hoc debet esse perfectè simile Deo in modo agendi; sed non esset, si solum existeret modus intellectualitatis homini convenientis; siquidem Deus habet modum operandi præcisè per formam intelligibilem, secus verò homo: ergo ad perfectam similitudinem huius univ. si cum Deo spectat, quòd in eo datur creatura, que operetur præcisè media forma intelligibili, videlicet Angelus. Tertiò: Nam sicut Deus habet naturam completam intellectivam, ita ad perfectam similitudinem huius univ. si cum Deo spectat, vt in eo datur aliqua creatura completa, que adquate sit intellectiva, si est possibilis; sed huiusmodi creatura est possibilis: quòd non esset eius similitudo perfecta cum Deo, nisi existeret defectò prædicta creatura, que est Angelus.

Deinde solutio adhibita secundæ confirmationi etiam corrigit: Quia tunc verificari debet, quòd gradus essendi sunt separati in hoc univ. si, ex eo quòd in homine sunt univ. si, quando sunt ex natura sua separabiles, secus verò quando sunt inseparabiles; sed gradus intelligendi est separabilis à gradu sentiendi, & sic est possibilis creatura purè intellectualis; secus verò gradus sentiendi à gradu vivendi, ergo recte deducitur, in hoc univ. si existere prædictam creaturam, ex eo quòd in homine datur gradus intelligendi.

8. Pro opposita sententia refert D. Thom. in

in præfati Saducæos. Quorum præcipuum argumentum est: quia Demones torquentur igne inferni, & fugantur aliquibus rebus corporeis; sed id, quòd caret quantitate, nequit pati à corpore: ergo Angeli habent quantitatem.

Sed ad hoc facile, & unico verbo respondetur, quòd Angeli seu Demones nequeunt pati ab aliquo corpore nisi tanquam ab instrumento divinæ virtutis, & non per impressionem alicuius qualitatis corporeæ, ad cuius receptionem est necessaria quantitas.

§. II.

Affertio secundà circa materiam corporealem.

9. Dicendum est secundò, Angelum non esse compositum ex vlla materia corporea, & forma spiritali. Hæc conclusio est communis inter PP. & Theologos. Ex deducitur non obicitur ex facta pagina, in qua Angeli appellatur virtutes. Ex quo omnimodam immaterialitatem eorum probat D. Thomas opusc. 1. cap. 18.

Et probatur ratione desumpta ex D. Thomæ, & ex his, que docuimus tr. 3. disp. 1. dub. 1. Nam immaterialitas est radix intellectualitatis: ergo quòd est intellectualem, secundum illam rationem est immateriale: ergo quòd est secundum se totum intellectualem, secundum se totum est immateriale, ex eo quòd potest attingere naturam abstractam ab individuatione, quamvis prædicta natura sit absolute corporea. ¶ Et confirmatur primò: Quòd non habet nisi operationem purè immaterialem, non habet materiam corpoream; sed operatio adæquata Angeli est purè immaterialis: ergo non habet materiam corpoream. Maior est certamam operatio cuiuslibet rei est secundum modum substantiæ, que est eius principium. Minor verò probatur: Angelus, vt potè adquate intellectualis, non habet aliam operationem præter intelligere, & velle: sed intellectio (& idem intelligendum est de volitione) est purè immaterialis: siquidem obiectum eius est abstractum ab individuatione: ergo operatio adæquata Angeli est purè immaterialis.

Confirmatur secundò: Angelus nequit agere nisi per formam purè intelligibilem; sed forma purè intelligibilis nequit recipi in materia corporea: ergo Angelus caret materia corporea. Maior est certamamque natura purè intellectualis nequit agere nisi per formam purè intelligibilem. Minor verò probatur: Forma purè intelligibilis recipitur secundum totam suam amplitudinem, itaut representet naturas universales & abstractas à materia; sed forma ita à npla in representando non potest recipi in materia corporea, cum de ratione illius sit limitare formam: ergo.

10. Sed contra primam confirmationem obijciat: Materia non solum est principium in-

Paul. Theol. Salin. Tom. II.

dividuationis, sed etiam naturæ specificæ & materialis vt abstracta ab individuatione: ergo ex eo quòd obiectum intellectus sit abstractum ab individuatione, non recte probatur, intellectum esse purè immaterialem. ¶ Confirmatur primò: Nam obiectum directum intellectus adhuc angelicæ est singulare materiale: ergo intellectio eius non est immaterialis. ¶ Confirmatur secundò: Homo est principium intellectus; & tamen habet materiam: ergo idem potest dici de Angelo.

Contra secundam confirmationem obijciat: Omnis forma intelligibilis evadit limitata in esse entitativo, eo ipso quòd recipiatur in intellectu; & nihilominus non est materialis: ergo purior, mitior, etid in esse representativo non limitatur, non sequitur, quòd sit purè immateriale. ¶ Et confirmatur Nam species representans colorem, & recepta in oculo corporeo, recipitur secundum totam suam amplitudinem; & tamen est corporea: ergo. Adde, quòd species angelica non representat naturam sine singularibus.

11. Ad obiectionem, que militat contra primam confirmationem: Respondetur, quòd obiectum intellectus, vt hæc sit purè immaterialis, non petit esse denudatum ab omni materia, sed sufficit, quòd sit abstractam ab individuatione: quia per hoc intellectio distinguitur adquate ab operatione adæquata corporea. Igitur D. Thomæ recte probat, intellectum esse purè immaterialem, ex eo quòd potest attingere naturam abstractam ab individuatione, quamvis prædicta natura sit absolute corporea. ¶ Ad primam confirmationem respondetur: faciendo, quòd singulare materiale est obiectum directum intellectus angelicæ, modo infra explicando. Sed non iustificatur ratiocinatio D. Thomæ: siquidem ex hoc non tollitur, quòd etiam natura abstracta ab individuatione sit obiectum directum illius, & hoc sufficit, vt sit purè immaterialis. ¶ Ad secundam confirmationem respondetur, quòd homo secundum se totum non recipit intellectum, sed præcisè secundum eam partem, qua est intellectus: Ex quo recte arguitur, partem illam, in qua recipitur, esse purè immaterialem. Cum ergo intellectio recipiatur in Angelo secundum se totum, cum secundum se totum sit intellectus, recte deducitur esse secundum se totum immaterialem.

12. Ad obiectionem, que procedit contra secundam confirmationem: Respondetur, quòd quilibet forma accidentalis, vt sit limitata in esse entitativo, sufficit, quòd recipiatur in quolibet subiecto; ac forma intelligibilis, seu in esse representativo solum limitatur per materiam. Ideò, si est illimitata, signum est, quòd est purè immaterialis. ¶ Ad obiectionis confirmationem respondetur, dupplicem posse excogitari amplitudinem, secundum quam species recipiatur in potentia cognoscitiva: alia enim est simpliciter talis, & consistit in eo, quòd species represen-

Q

tec

ter naturas vt abstractas ab individuatione; alia est secundumquid talis: quia aliquomodo est immaterialis; & aliunde non potest representare naturam in vniuersali. Quamvis secunda amplitudo non obest corporeitati seu materiz, bene vero prima; & de hac procedit nostrum ratiocinium. *Ad additamentum:* Responderet, speciem angelicam representare naturam commanem cum omnibus suis singularibus sub ratione vniuersali, & valde ampla, qui modus representandi est sufficiens ad cognoscendam naturam sine singularibus. Vnde non obest, sed potius prodest eius magnæ immaterialitati, quia inde arguitur maior amplitudo in specie.

13 Alia ratione desumpta ex D. Thoma hic art. 2. probatur conclusio: Nam si Angelus esset compositus ex materia corporea, vel hæc esset eiusdem rationis cum nostra, vel diuersæ; neutrum dici potest: ergo. Minor quoad primam partem probatur: Si esset compositus ex materia eiusdem rationis cum nostra, iam duæ formæ substantiales essent in eadem numero materia; hoc repugnat, vt ex nostra Philosophia supponimus: ergo Sequela probatur: Nam materia non dividitur in diuersas portiones, nisi ratione quantitatis; sed Angelus caret quantitate: ergo oportet, quod Angelus reciperetur in eadem parte materiz, in qua recipitur forma corporalis nostra, atque idem duæ formæ essent in eadem portione materiz. Quoad secundam partem etiam probatur: Nam quantumuis materia esset diuersa rationis, non posset non esse in ea capacitas ad alias formas corporeas: materia enim corporalis nequit habere repugnantiam ad aliquam formam corporealem: ergo eadem portio materiz posset recipere simul formam spiritualem & angelicam, & formam corpoream, quod est inconueniens proxiæ illatum. Patet consequentia ex proximè dictis: nam forma angelica, vt potest incapax quantitatis, nequit recipi in portione materiz actu diuise.

Et confirmatur: Nam materia corporea, qua Angelus esset compositus, vel petit ex natura sua quantitatem, vel non petit, sed est indifferens ad eam habendam; neutrum dici potest: ergo. Minor probatur quoad primam partem: Angelus est incapax quantitatis: ergo nequit recipi in materia, que postulat quantitatem. Quoad secundam etiam suadet: Nam quilibet res existens in rerum natura petit determinate, vel esse diuibilem, vel indiuisibilem: ergo nequit esse ex se indifferens ad habendam, & non habendam quantitatem.

Quibus omnibus bene perpensis, & si recolantur ea, que dicunt N. Complut. abbrev. in lib. de Generat. disp. 5. & 14. vbi ostendunt, quomodo materiam esse distinctam per modum partis, & partis integralis proveniat formaliter à quantitate; ipsam vero materiam distingui ab

altera materia totali per modum partis, & partis subiectivæ, id est per modum duplicis individui substantialis, proveniat ab ipsa quantitate vt radicaliter præhabita in ipsa materia: Hæc (inquam) si bene perpendantur, prædicta ratio novum robur accipiet, & nonnullas evasiones præoccupabit.

14 Nihilominus rationi factæ potest responderi primò, materiam Angeli sufficienter esse diuisam ab alijs portionibus materiz, per hoc quod hæc manent actu diuise ratione quantitatis: nam eo ipso manent distinctæ ab omni alia materia, que non est sub quantitate. ¶ Sed contra est primò: Quia hæc solutio ad minus non habet locum inter duos Angelos existentes, seu posibles: & sic iam duæ formæ substantiales esse possent in eadem materia actu indiuisa. ¶ Secundo: Nam ex hac evasione saltem sequitur, materiam Angeli esse diuisibilem ex se, quantumvis actu non esset diuisa: ergo Angelus recipitur in materia secundum se diuisibile; ac proinde esset diuisibilis quantitativè, quod repugnat. ¶ Nec valet dicere, in sensu composito non esse diuisibilem. Nam materia, que secundum se est incapax quantitatis, nequit reddi incapax illius, ratione formæ connaturaliter in ea receptæ.

15 Confirmationi potest responderi, quod materia actua forma substantiali petit determinatum modum essendi, secus vero si consideretur secundum se. ¶ Sed contra est: Tum, quia nullum est ens, quod secundum se non petat esse in se, vel in alio, non alia ratione nisi quia illi modi ad quædam diuidunt ens: ergo pariter nullum est ens, quantumuis potentiale, quod non petat secundum se esse diuisibile, vel indiuisibile propter eandem rationem. *Tum etiam:* Quia materia secundum se nequit petere simul modum essendi diuisibilem, & indiuisibilem; neque successivè, propter summam distantiam, & inquantitatem vtriusque: ergo nequit esse indifferens ad vnum, & alium.

16 Pro opposita sententia refertur Avicembron in lib. Fontis vitæ. Pro qua arguitur Ens substantiale diuiditur tanquam in duo extrema opposita in actum purum, nempe Deum, & in potentia puram, que est materia prima: ergo omnia entia media substantialia, & completa debent participare de vtroque extremo. Vnde sicut Angelus participat actum ab actu puro, vt à causa extrinseca & efficienci, & non per modum partis intrinsece; ita debet aliquid participare à materia tanquam à causa materiali, que est intrinseca.

Responderet cum Div. Thoma de Spirit. creaturis art. 1. ad 25. *Quod quantum aliquid est plus in actu, tanto perfectius est: quantum autem aliquid est plus in potentia, tanto est imperfectius. Imperfecta autem à perfectis sumunt originem, & non e converso. Vnde non oportet, quod*

omne quod est in potentia, hoc habeat à pura potentia, qua est materia. Ex quibus verbis colligitur, quod ea, que sunt superiori gradus, vt sunt Angeli, si conferantur eum materia, nihil debent habere à materia, que est extremum imperfectissimum; sed à Deo, qui est extremum perfectissimum; cum elongatione tamen ab illo.

§. III.

Assertio tertia circa materiam spirituales.

17 Dicendum est tertio, Angelum non esse compositum ex materia spirituali. Ita D. Thomas hic art. 2. vbi ab Angelo compositionem ex quacunque materia excludit. Idem tradit quest. 6. de Pot. art. 6. ad 4. Favetque ei D. Dionys. cap. 4. de Divinis Nominibus. vbi Angelos appellat intellectuales substantias ab omni materia immunes & cap. 1. & 2. Cælestis Hierarchia immaterialis: Ex quibus patet (inquit D. Thomas opusc. 15. cap. 18.) hanc fuisse Dionysii sententiam, quod Angeli sunt immateriales, & simplices substantie. Hos sanctos Doctores sequuntur communiter Theologi.

Et probatur ratione: Angelus secundum se totum est intellectivus: ergo caret omni materia etiam spirituali. Antecedens ex dictis §. 1. constat. Consequentia vero probatur: Quia natura intellectiva est potens attingere naturas vniuersales & abstractas: ergo natura ad quædam intellectiva nullum habet principium limitans eam ad attingendas prædictas naturas communes & abstractas: iam sic; sed materia prima adhuc spiritualis limitat naturam, ne recipiat & cognoscat naturas vniuersales: ergo. Minor subsumpta probatur: Materia prima adhuc spiritualis est potentia pura, sicut materia corporea, estque, sicut illa, principium individuationis substantie spiritualis; sed quia materia prima corporea est huiusmodi, limitat naturam, vbi est, ne recipiat & cognoscat naturas abstractas: ergo idem dicendum est de materia spirituali.

18 Respondebis, quod materia tantum corporea habet esse principium individuationis, ac proinde limitat principium ad cognoscendum tantum singulare: materia vero spiritualis est elevata supra conditiones materiz nostræ. *Præsertim:* Quia est materia spiritualis esset radix individuationis substantie spiritualis, non propter ea limitaret eam ad cognoscenda sola singularia: sicut nec materia nostra limitat animam nostram, ne cognoscat naturas abstractas, quamvis sit principium individuationis illius.

Sed contra est: Nam ideo materia prima nostra est radix individuationis substantie corporeæ. *Paul. Theol. Salm. Tom. II.*

corpora, quia est pura potentia, primumque subiectum; sed materia spiritualis etiam est pura potentia, primumque subiectum respectu substantie spiritualis: ergo etiam est prima radix sue individuationis. ¶ Neque id, quod additur, enervat vires nostræ rationis: Ideo enim materia prima non limitat animam nostram, quamvis sit principium sue individuationis, quia eius operatio, nempe intellectio, non dependet à materia corporea; sicut nec ipsa anima in suo fieri; e contra verò, idem limitat eam, ne cognoscat vniuersalia medijs sensibus internis, & externis, quia hæc potentia in suo fieri, esse, & operari dependet à materia; sed eo ipso, quod Angelus haberet materiam spiritualem, eius intellectio fieret media ipsa materia, sicut forma Angeli dependeret in suo fieri, & esse ab ea, non minus proprie ac forma sensitiva à materia corporea: ergo limitaret eam, vt cognosceret tantum singularia spiritualia.

19 Probatur eadem conclusio alia ratione: Nam si Angelus esset compositus ex materia spirituali, vel ab ea esset illius forma naturaliter separabilis, vel inseparabilis; neutrum dici potest: ergo. Minor quoad primam partem probatur: Angelus est ex natura sua incorruptibilis, vt infra probabimus: ergo nequit consistere ex materia, à qua forma illius sit naturaliter separabilis. Quoad secundam non minus efficaciter ostenditur: Nam forma angelica est per se subsistens non minus proprie, ac anima rationalis; sed forma, que non est naturaliter separabilis à materia, nequit esse per se subsistens, cum dependeat ab ea in suo fieri, esse, & operari, quod est proprium forma non subsistens per se, vt liquet in alijs formis inseparabilibus: ergo.

20 Respondebis, Angelum consistere ex materia, à qua eius forma est naturaliter inseparabilis. Cum quo rectè coheret, quod huiusmodi forma sit per se subsistens: quia ad hoc sufficit, quod supernaturaliter posset ab ea separari, & sic separata operari.

Sed hæc solutio statim cadit: Nam forma ignis (v. g.) supernaturaliter potest existere à materia separata, & si est cum suo calore, potest sic separata operari; & tamen non est per se subsistens: ergo est forma angelica esset supernaturaliter separabilis à materia, & sic separata posset operari, non esset forma per se subsistens. *Maximè:* Quia vel forma equi existens supernaturaliter separata à materia posset elicere supernaturaliter operationes materiales, vt videre &c. vel non posset? Si dicatur secundum ergo nec forma angelica: Tum, quia eius operatio est non minus vitalis, ac viæ. Tum & quia forma equi in sua linea maiorem elevationem haberet supra materiam corporealem, quam forma angelica supra materiam spiritualem, vel ad minus vtraque forma que esset eiusdem ordinis cum sua materia. Si dicatur primum &c.

forma angelica non haberet specialem aliquam titulum, ut esset forma per se subsistens, quem non habet forma quæ.

21 Ultimò probatur conclusio ex pluribus implicationibus ex præcedentibus deductis: Nam imprimis sequitur ex opposita sententia, quòd forma Angeli esset, per se subsistens, & non esset. Esset: quia anima rationalis est forma per se subsistens, in quo exprimitur maxima perfectio illius; sed forma angelica est perfectio anima rationali: ergo non est, cur ei desit hæc perfectio, ac proinde esset per se subsistens. Non esset: quia haberet operationes equè dependentes à materia, ac forma equi. Deinde sequeretur, materiam huiusmodi esse radicem individuacionis, & non esse. Esse: quia esset primum subiectum substantiale. Non esse: quia pura potentia per modum substantiæ non est sufficiens principium individuacionis, nisi connotet aliquod accidens, quod ex se sit quodammodo individuatum: ut liquet in materia nostra, quæ non est radix individuacionis, nisi prout connotat quantitatem, quæ ex se est individua. Tandem sequeretur, prædictam materiam esse intellectivam, & non esse. Non esse: quia non posset attingere naturas abstractas, quarum cognitio est propria rei intellectivæ. Esse: quia est medium cognoscendi singularia spiritualia, quæ cognosci non possunt nisi intellectu. Ex quo vterius sequeretur, Angelum esse intellectivum, & non esse. Esse, propter rationem proximè traditam. Non esse: quia forma angelica non excederet ordinem talis materiæ, quæ non esset intellectiva.

22 Arguitur primò pro opposita sententia (quam tenent Aletius, D. Bonav. Richard. & alij) ab auctoritate: Nam Arist. 8. Metaphys. ait: *Siqua substantia est sine materia, statim est ens, & unum; & non est ei alia causa, ut sit ens, & unum*; sed Angelus habet causam suam ergo non est sine materia. ¶ Confirmatur primò ex D. August. 12. Confess. cap. 20. vbi exponens illud, *In principio creavit Deus cælum, & terram* &c. ait, Deum fecisse informem materiam omnis creaturæ spiritualis, & corporalis; sed materia creaturæ purè spiritualis nequit esse corporea: ergo est spiritualis. ¶ Confirmatur secundò ex Boetio in Commento prædicam. ex mente Philof. quòd substantia, quæ est prædicamentum, est composita ex materia & forma; sed substantia angelica ponitur directe in prædicamento: ergo consistat ex forma & materia: non corporali: ergo spirituali.

Arguitur secundò ratione: Nam datur forma purè spiritualis: ergo etiam materia; quæ nulli aptius potest competere, quam Angelo. Consequenter probatur: actus, & potentia sunt in eodem genere, hoc est, quòd datur materia formæ proportionata; ergo si datur forma spiritualis, etiam materia. ¶ Et confirmatur: An-

geli consistant ex genere, & differentia; sed genus sumitur à materia, sicut differentia à forma: ergo.

23 Ad argumentum, & auctoritatem Arist. Respondetur cum D. Thoma art. 1. de Spirit. creaturis ad 5. his verbis: *Dicendum, quòd Philosophus loquitur tibi non de causa agente, sed de formali.* ¶ Ad primam confirmationem, & testimonium D. August. Respondetur cum eodem D. Thoma ibidem ad 4. vbi ait: *Informitas substantiæ spirituali: est secundum quòd nondum est conversus ad verbum, quòd pertinet ad potentiam intelligibilem.* Unde valde aliena est mens D. Augustini ad intento Adversariorum. ¶ Ad secundam, & auctoritatem Boëtij: Respondet idem Ang. Mag. ibidem ad 23. per hæc verba: *Intentio Boëtij non est dicere, quòd de ratione substantiæ, quæ est genus, sit esse compositum ex materia & forma. Sed intendit dicere, quòd cum forma, & materia non pertineant ad genus substantiæ tanquam species, sola substantia, quæ est compositum, collocatur in genere, ut species.* Ex quo nequit inferri, quòd Angelus sit compositus ex materia, quamvis collocetur in prædicamento ut species: quia loquebatur tibi de substantia completa corporea contrapositive ad suas partes.

Ad secundum argumentum: Respondetur, concedendo antecedens; & negando consequentiam. Ad cuius probationem dicendum est, illud axioma verum tenere, quando datur materia, seu potentia simul cum forma, secus verò quando est forma sine materia, ut in Angelis contingit. ¶ Ad eius confirmationem dicimus, quòd genus, & differentia in Angelis sumitur à tota essentia illius; aliter tamen & aliter: nam genus sumitur ab ea, quatenus est totum potentiale, seu prout est elongata ab existentia; differentia verò ab ea, prout est totum actuale, seu prout est capax proximè existentie.

§ IV.

Corollaria ex præcedenti doctrina.

24 EX dictis infertur, Angelum non posse habere corpora tibi naturaliter unita. Ita expressè D. Thomas infra quest. 51. art. 1. & alibi. Quod explicatur, & probatur formaliter: nam in idem redit Angelum habere corpus naturaliter sibi unitum, ac esse formam informantem prædictum corpus; sed ex dictis factis constat, Angelum non esse formam informantem: siquidem forma informantem habet rationem partis facientis unum per se cum corpore per modum alterius compatis, & Angelus est forma completa: ergo nequit habere corpus sibi naturaliter unitum. Quam rationem magis expendit D. Thomas, & cum eo N. Salm. in Commentar. ad prædictum art. vbi potest non sine magno profectu videri.

25 Sed licet hoc ita sit, plura solent hinc inquiri de Angelis circa corpora. Primum est: An Angelus possit assumere corpora? Ad quod affirmative respondet D. Thomas loco proximè citato art. 2. & alibi. Contra aliquos antiquos asserentes, Angelorum apparitiones solùm fieri secundum imaginariam visionem. Sed licet nonnullæ apparitiones ita contigerint; de Angelis tamen, qui apparuerunt Abraham, Loth, & Tobie, negari non potest in corporibus assumptis apparuisse: nam, ut ait Div. Thomas, quòd sola imaginacione videtur, est in sola imaginacione videns, & non videtur indifferenter ab omnibus, sicut prædicti Angeli videbantur.

26 Observa tamen, tres condiciones requiri iuxta D. Thomam, ut corpus dicatur ab Angelo assumptum. Prima, quòd corpus assumptum uniatur Angelo: nam assumere est ad se sumere. Secunda, quòd ei uniatur ut mobile motori: quia unio hæc non potest esse per informationem, ut nuper diximus: nec potest esse hypothetica, cum nulla personalitas creata possit terminare alienam naturam: unde nulla alia unio potest excogitari aptior, nisi assignata. Tertia, quòd Angelus forme corpus assumptum, itant per figuram & proprietates exteriores representet virtutes intelligibiles, vel ipsius Angeli assumptis, vel alterius Angeli superioris, vel ipsius Dei, quando eorum personam gerit, ut eorum Legatus.

Ex quibus facile deducitur, Angelos moventes corpora coelestia non dici illa assumere ex defectu tertie conditionis, quamvis per eorum motus illorum proprietates & existentia aliquomodo cognoscantur. Propter eundem defectum Demones non assumunt corpus oblecti, quamvis sint intra ipsum, & moveant illud localiter. Similiter nec Angelus, qui linguam asinae movebat, nec Demos, qui per serpentem affatus est ad Evam, assumunt corpora illa: quia in omnibus his datur idem defectus. Ex vi eiusdem defectus docet D. Thomas in 2. dist. 8. q. 1. art. 3. regulariter loquendo, Angelum non assumere corpus vivum, aut naturaliter genitum, ut cadaver, aut lapidem: quia proprietates, quæ sunt in eis, potius representant ipsum corpus, cuius sunt, quam proprietates Angeli, quæ melius representantur per corpus, quod non habet veritatem illius naturæ, quam ostendit.

27 Secundum, quod inquiri potest, est: Ex qua materia formentur corpora assumpta ab Angelo? Respondetur, prædicta corpora formari ex quolibet elemento, inò ex pluribus mixtis, cum omnia corpora obediant Angelo quoad motum localem; sed præcipue ex aere: quia ut ait D. Thomas quest. 6. de Pot. art. 7. ad 7. aer potest insipisci facilliter, & sic figuram recipere, & per alicuius lucidi corporis oppositionem diversimodè colorari, sicut in nubibus patet. Idem-

que docet de vapore & fumo, qui in aëris naturam tendunt, eique maximè assimulantur. Et propterea Demones, quibus proprius est talis materia corpora assumere convenit (aliquando in corporibus assumptis apparentes sulphureum, & piccum odorem emittunt).

Nota tamen, quòd licet corpora assumpta, dum non habent veritatem illius naturæ, quam representant, ut commaniter contingit, non habeant temperiem propriam illius, scilicet carnis, nervi &c. iuxta illud Luca ultimo: *Palpate, & videte, quis spiritus* (id est, corpus phantasticum assumptum à Spiritu Angelico) *carnem, & ossa non habet.* Possunt tamen habere figuram, quæ eis convenit ab extrinseco, sicut provenit aquæ ex vase triangulari: sed verè & naturaliter ex natura ipsorum corporum independenter ab actione consecrativa Angelis nam ita possunt solidari & condensari, ut talem figuram conservent, quandiu non fuerint dissoluta, etiam ab Angelo relinquuntur. Colores etiam possunt habere non solum apparentes, qui ex varia reflexione luminis proveniunt, sed etiam veros, qui ex primarum qualitatum permutatione resultant.

28 Tertium, quod inquiri solet, est: Quæ virtute corpora assumpta formentur? Ad quod respondet D. Thomas hic quest. 5. art. 2. ad 2. formari ex aere virtute divina. Sed per virtutem divinam quidam intelligunt, quam Angeli à Deo acceperunt simul cum natura: virtutem enim naturalem & propriam Angeli ad hoc sufficere colligitur ex D. Thoma loco citato de Pot. ad 10. Unde dici etiam potest, Div. Thomam loqui de apparitionibus supernaturalibus Angelorum, quales fuerunt factæ Abraham, Loth, Tobie, & B. Virgini: in hisque fuisse formata corpora assumpta virtute supernaturali, valde probabile est. Et cum Demones assumant corpus ad peccatum, & tentandum homines, non est credibile, nisi quòd corpora formentur virtute propria saltem applicando activa passivis. Quæ etiam ratione eos vera animalia efficiere posse, ea scilicet quæ sine semine generari possunt, D. Thomas docet infra quest. 114. art. 4. dicens: *Magi Pharaonis per virtutem Demonomum veros serpentes, & ranas fecerunt.*

29 Quartum est: Possintne Deus corpus assumere, modo quo Angelus assumit? Ad quod respondetur affirmative: quia nihil imperfectionis importat in huiusmodi assumptione. Ait tamen D. Thomas loco cit. de Pot. ad 3. cum D. August. lib. 3. de Trinit. cap. 11. quòd omnes Dei apparitiones, quæ in veteri testamento leguntur, factæ fuerunt ministerio Angelorum. Unde de Domino, qui apparuit Iacob, & visus est ab eo in scala iuxta Genes. 28. & dixit ei, *Ego sum Deus Abraham*; ipsemet Iacob 31. ait: *Dixit Angelus Dei ad me: Ego sum Deus Bethel.*

30 Pro complemento huius materię, circa animas separatas est etiam difficultas, an possint assumere corpus? ¶ Ad quod responderetur, non posse naturaliter: quia, ut inquit D. Thomas infra quest. 117. art. 4. & cum eo Salmant. in hoc tract. disp. 2. num. 89. anima non movet localiter nisi corpus a se vivificatum. Vel potest responderi probabiliter affirmativę cum eisdem PP. ibidem. Sed hoc non est connaturaliter conveniret connaturalitate formę, sed tantum connaturalitate status: & hac ratione potest dici, quod eis convenit virtute divina, ad modum quo in eodem statu separationis ratione status debentur eis substantię infusę virtute divina. Itaque hæc infusio non sit miraculosa, sed quodammodo debita ratione status.

31 Tandem inquires, quas operationes Angelus possit elicere in corpore assumpto? ¶ Ad quod responderetur, non posse elicere operationes vitę sensitivę, cum careat huiusmodi vita, & eius potentij. Potest tamen elicere aliquas operationes eis similes quoad motum localem, & eius terminam, licet non quoad vitalitatem: v. g. locutionem quoad sonum, qui ex collisione aeris causatur: & motum progressivum quoad terminum, qui est *vbi*. Vnde docet D. Thomas q. 51. art. 3. ad 5. quod quamvis comestio Christi post resurrectionem fuerit vera, quia habet corpus talis naturę, in quam cibus possit converti, licet defactio non converteretur in substantiam eius, sed resolveretur in præiacentem materiam; & sic dixit D. Greg. quod Christus comedit, ut per effectum comestionis virtus patresceret carnis: Angelus tamen in corpore assumpto veram comestionem nequit habere, sed figurativam & spiritivalem: nam corpus assumptum non est talis naturę, in quam cibus possit converti. Vnde Raphael dixit Tobię 12. *Cum essem vobiscum... videbar quidem... manducare & bibere; sed ego invisibili potui, & cibo... orator.*

DUBIUM II.

Utrum de potentia absoluta possint dari plures Angeli intra eandem speciem atomam?

Post questionem An est, & Quia est Angelorum, ad eorum multitudinem, & diversitatem examinandam progredimur. Sed prius per modum suppositionis eorum multitudinem, necnon diversitatem in eis inventam declarabimus, ut ab his, quę non sunt magni momenti, expediti, ad punctum satis arduum, quod titulus præfert, accedamus.



§. I.

Dux suppositio.

32 Supponendum est primò, numerum Angelorum excedere multitudinem omnium specierum materialium creaturarum. Ita PP. & præcipue D. Thomas in hac q. 50. art. 3. quos sequuntur committere Theologi. Et probatur primò ratione D. Thomę deducta ex loco proximè relato & ex 2. Contra gent. cap. 92. Nam eò illa entia sunt in maiori excessu creata, quò sunt perfectiora, & per se intenta: sed Angeli sunt nobilissimi inter omnes species substantiales creatas, & per se intenti: ergo excedunt in numero omnes species creatas substantiales. Maior, in qua tantum est difficultas, suadetur: Tum, quia maxima perfectio huius univervi, quę est per se intenta, ita exigit, Tum etiam: quia eadem ratione corpora celestia creata sunt in maximo excessu secundum magnitudinem.

33 Quę ratio rationabilis est, si ad eius perfectam intelligentiam ei nonnullę conditiones addantur. *Prima est*, quod particularis natura alicuius rei oppositum non possit. Nec mirum debet videri, quod aliqua res ex sua ratione differentiali petat oppositum eius, quod ex ratione communi exigebatur, ut liquet in actu odi Dei, qui, quantum est ex vi rationis communis seu actus humani vti, exigit rectitudinem; & tamen ratio eius differentialis impedit prædictam rectitudinem, & oppositum postulat. *Secunda est*, quod aliunde non impediatur maior perfectio univervi intensiva.

34 Ratio suprã tradita D. Thomę his conditionibus affecta est adeò vera, ut præoccupet plures instantias, quę contra eam videntur pululare. *Prima est*, quod non sunt plures Angeli, quàm grana millij frumenti &c. *Secunda*, quod Elephas, & Phœnix sunt animalia perfectiora, quàm musca, & colex, ex quibus innumera datur multitudo. *Tertia*, quod viventia perfectiora sunt corporibus celestibus; & hoc non obitanti, illa excedunt illa in magnitudine. Idemque apparet in auro respectu ferri, in gemmis respectu lapidum, in planetis respectu orbium, in quibus sunt, & tandem in luna respectu terrę. Quibus addi possunt alie duę instantię, vniõis videlicet hypostaticę, & divinarum personarum.

Hę (inquam) instantię præoccupantur ex dictis. Prima enim, & secunda non sunt ad rem: quia ratio D. Thomę non procedit de multitudine præcisę individuali, quę non est per se primò intenta a natura, ut tradit ipse D. Thomas in præf. art. 4. ad 4. sed de multitudine specificã. Et ideo non est contra rationem D. Thomę, quod grana frumenti, arenaque sint

Dub. II. Utrum de potentia absoluta possint dari plures Angeli &c.

sint in maiori numero, quàm Angeli, nec quòd muscæ excedant in multitudine Elephantem, & Phœnicem.

Ad tertiam dicimus, quod eò viventia sunt in minori magnitudine, quàm corpora celestia, esto sint eis perfectiora, quia ita exigit peculiaris eorum natura; quod ab effectu sufficienter colligitur: Idemque dicendum ad instantiam auri, & gemmarum. *Maximè*: quia omnia mixta sive viventia, sive non viventia petunt terminum intrinsecum suam magnitudinis, & parvitatıs: vnde si in prædictis entibus perfectioribus reperitur minor magnitudo, signum est, quod hoc oriatur ex peculiaritate eorum naturę. Planetas verò esse in minori quantitate, quàm orbem in quibus sunt, & similiter lunam quàm terram. oriri potest ex duplici capite; & quia ita postulat eorum natura, cuius signum est, quod in ea quantitate creata sunt, & non accipiunt ex natura sua incrementum, aut decrementum intrinsecum, & aliunde Deus creavit Planetas ad ornatum cœlorum, qui finis frustraretur, si in maiori quantitate essent quàm orbem. Sicut si luna esset maior quàm terra, impediretur perfectio univervi quia impediret induum Solis in terram. Instantia, quę additur circa vniõnem hypostaticam, facit corruere: quia vniõ hæc debuit fieri cum natura humana, ac proinde eius multiplicatio esset tantum numerica, quã ratione non esset per se intenta. Præsertim quia vniõ infusibile ad remedium generis humani, propter quod fuit facta. Ad illud personarum divinarum sunt plures rationes (ut in tract. de Trinit.) ita exigentes Præterquamquod, quia D. Thomas solum loquitur de rebus à Deo factis.

35 Probatum secundò eadem suppositio quinta ratione D. Thomę, quã adducit loco suprã relato Contra gent. Angeli sunt magis multiplicabiles, quàm species materiales: ergo defactio sunt in maiori multitudine. Consequentia videtur bona: nam in rebus perpetuis, quales sunt Angeli, non distinguitur esse, & posse. Antecedens probatur: Res in esse intelligibili sunt magis multiplicabiles, quàm res in esse materiali; sed Angeli secundum suam naturam sunt in esse intelligibili: ergo sunt magis multiplicabiles. Maior constat in linea, quã potest multiplicari vsque in infinitum per intellectum, secus verò secundum suum esse materiale.

36 Respondebis primò, negando antecedens. Cuius probatio falsa est: nam imprimis lapis est magis multiplicabilis secundum esse materiale, quàm ipsemet in esse intelligibili. Deinde anima rationalis est ex natura sua in esse intelligibili; non est magis multiplicabilis quàm arena maris, quę secundum se non est intelligibilis.

Sed contra: Tum, quia lapis in esse intelli-

gibili est magis multiplicabilis, ly esse intelligibili sumpto secundum suum esse individuale adequatè sumptum, quàm ipsemet in esse materiali, licet sit vna tantum secundum rationem specificam: ergo ex hac parte verum est antecedens D. Thomę. Antecedens est certum: quia lapis, qui est vniõ in esse materiali, potest in infinitum multiplicari in esse representatiõ: adeoque sumpto secundum suam esse individuale tam in intellectu, quàm in sensu. Tum etiam: nam ratio D. Thomę procedit de his, quę præcisè pertinent ad ordinem intelligibilem, ut Angeli; sed anima rationalis non pertinet præcisè ad ordinem intelligibilem, quia ad sui multiplicationem dependet a corpore: ergo ratio D. Thomę manet in suo robore, quãvis arena sit magis multiplicabilis, quàm anima rationalis.

37 Respondebis secundò, concedendo antecedens, & negando consequentiam. Quia falsum est, esse & posse in rebus perpetuis esse omnimò idem; aliàs darentur Angeli infiniti, quia sunt impossibiles.

Contra est: Nam genus, connaturaliter loquendo, petit ad sui conservationem plures species: ergo genus ex natura sua magis multiplicabile petit plures species ad sui connaturalitatem conservationem: ergo si aliunde est perpetuum, & mensuratum a se, petit connaturaliter, quòd multiplicetur actu per plures species; sed genus purè intellectuale & proprium Angelorum est huiusmodi: ergo. Ratio verò, cur non dantur Angeli infiniti, est: quia non solum eorum genus id non postulat, sed etiam quia ei metaphysicè repugnat.

38 Tandem probatur eadem suppositio ratione desumpta ex D. Thomã infra quest. 113. art. 2. Nam quodlibet genus, & quilibet species, imò quodlibet individuum naturę humane habet suam peculiarem Angelum Custodem: ergo tot sunt Angeli, quot sunt genera, species, & individua naturę humane; sed præter hos dantur alij innumerabiles: ergo Angeli excedant in numero omnes species materiales huius univervi. Antecedens probatur primò autoritate: Nam imprimis Div. Greg. hom. 34. in *Evangelia* docet, diversos ordines deputari diversis generibus rerum: idem docet Augustinus de singulis speciebus: & tandem secundum Hieronymum Matth. 18. quem sequuntur Theologi cum D. Thomã, quilibet homo habet suum Angelum Tutelarem. Secundo ratione, seu congruentia (alter enim ea, quę pendet ex libera voluntate Dei, nequeunt probari) Nam ad providentiam divinam peculiariter spectat, ut habeat specialem curam de rebus perpetuis, quales sunt genera, species, & animæ rationales; sed executio huius providentię petit connaturaliter fieri medijs Angelis: ergo quodlibet genus, & individuum naturę huma-

na habent suam peculiarem Angelum Custodem.

39 Supponendum est secundò, non dari defectò Angelos eiusdem speciei. Et probatur primò congruentia D. Thomæ desumpta ex 2. Contra gent. cap. 93. Nam congruum est, ut sola corruptibilia multiplicentur secundùm numerum intra eandem speciem; sed Angeli sunt incorruptibiles; ergo non multiplicantur. Maior probatur primò ratione: Ideò corruptibilia peccant multiplicari secundùm numerum intra eandem speciem, quia species illorum nequit conservari in unico individuo; sed natura speciei quæ est ab intrinseco incorruptibilis, potest conservari in unico individuo: ergo congruum est, quòd sola corruptibilia multiplicentur secundùm numerum. Probatur secundò idem antecedens exemplis: Nam sol, luna, & orbis cælestes, necnon non multiplicantur numero sed huius nequit dari alia aptior congruentia, nisi quia carent corruptione ergo &c. Neque officit exemplum animæ rationalis: quia anima rationalis est forma corporis, quòd est radix corruptionis, & individuationis formam.

40 Probatur secundò alia congruentia eiusdem Angel. Doct. de Spirit. creaturis art. 8. Angeli sunt partes nobilissimæ huius universi: ergo perfectio eius petit esse per se, non per accidens, sicut perfectio eius consistit in ordine per se; sed ordo per se reperitur in speciebus, non in individuis: ergo Angeli non multiplicantur solum numero.

41 Nec refert, si dicas, in suprema parte huius universi debere dari ordinem etiam per accidens, sicut datur in ipso universo, ut sic participet magis de illo. ¶ non (inquam) refert: Nam plus aliquid debet habere universum, quia universum est, quam quilibet eius pars: ergo ex eo quòd universum habeat utrunque ordinem, non infertur, nobilissimam eius partem illum habere.

42 Sed objicies contra hanc congruentiam: Vegetabilia, & sensibilia sunt pars nobilior huius universi quam cæli, siquidem excedunt absolute illos in perfectione; & tamen inter leones (v.g.) non datur ordo per se, sed tantum per accidens: ergo. ¶ Respondetur, quòd estò cæli sint animalibus imperfectiores in esse entis, sunt tamen perfectiores in ratione partis universi: quia perfectio eius consistit præcipue in ordine & concatenatione partium inter se: Unde quæ habuerit superioritatem, erit perfectior in ratione partis, quia est independentior & minus subordinata, ut sunt cæli; & per oppositum animalia omnino sunt dependentia & subordinata virtuti colorum.

43 Deinde objicies contra suppositionem ipsam (omisso argumento ab autoritate, quia in eo solum sit sermo de eadem specie subalter-

na) Nam non est perfecta dilectio; nisi in his quæ sunt eiusdem speciei, & deducitur ex illo Ecclesiast. 11. Omne animal diligit simile sibi; sed in Angelis est perfecta dilectio: ergo dantur Angeli eiusdem speciei. ¶ Confirmatur primò: Angeli eiusdem ordinis habent idem officium; ergo etiam sunt eiusdem speciei. ¶ Confirmatur secundò: Nam omnes Angeli conveniunt in eodem gradu pure intellectualitatis, sicut omnes animæ rationales in rationalitate; sed omnes animæ sunt eiusdem speciei: ergo etiam omnes Angeli. ¶ Confirmatur tertio: Nam aliàs vnus Angelus, maxime interior, non posset cognoscere quidditative aliam, maxime superiorem.

Ad objectionem responderetur, quòd dilectio perfecta, qualis est, quæ sequitur cognitionem pure intellectivam; magis respicit bonum commune, quam particulare; & ideo nos perfectius diligimus Deum charitate, quam nos ipsos, estò sit infinita distantia, quia Deus est bonum commune. Distinctio autem specifica Angelorum magis conducit ad bonum univèrsi, quam distinctio numerica; & propterea non impedit perfectam eorum dilectionem. ¶ Ad primam confirmationem responderetur cum D. Thoma infra quæst. 108. art. 3. in corp. ubi ait: Si perfectè cognosceremus officia Angelorum, & eorum distinctiones, perfectè sciremus, quòd quilibet Angelus habet suam propriam officium. ¶ Ad secundam responderetur, quòd Angeli ita conveniunt in eodem gradu generico pure intellectualitatis, quòd participant modos substantiales specie distinctos intra eundem gradum, sicut bruta. Quòd verò animæ rationales sint eiusdem speciei, provenit ex eo, quòd sunt in infimo gradu intellectualitatis. Quia, ut docet D. Thomas de Spirit. creatur. art. 8. ad 10. Supremus gradus alienius nature, vel etiam infimus, est vnus tantum. Gradus verò medius, qui est in Angelis, potest habere latitudinem, & divisibilitatem in plures species. ¶ Ad tertiam responderetur, negando sequelam. Quia sufficit, quòd omnes Angeli conveniant in eodem gradu immaterialitatis specifico in ratione gradus. Nec opus est in hoc presupposito amplius immorari, quia ex dicendis in hoc toto dubio aperte constabit.

§. II.

Sententia Thomistica: Et prima eius ratio.

44 Dicendum est, implicare contradictionem in eo, quòd dantur plures Angeli eiusdem speciei atome. Hæc conclusio ita est communis inter Thomistas, ut supervacaneum sit eos referre. Et videtur expressè tradi à D. Thoma hic art. 4. vbi absolute ait, esse

impossibile, quòd sint duo Angeli eiusdem speciei. Et infra quæst. 75. art. 7. inquit: Manifestum est, quòd necesse erit in eis (scilicet Angelis) esse diversitatem speciei. Non enim potest intelligi, quòd aliqua forma separata sit, nisi una vnus speciei: sicut si esset albedo separata (puta tam adu, quam aptitudine) non posset esse nisi una. Ideam tradit de Spirit. creatur. art. 8. his verbis: Si vnus Angelus est forma simplex abstracta à materia, impossibile est etiam fingere, quòd sint plures Angeli vnus speciei. Et tam len supra quæst. 41. art. 6. ex eo probat, in Deo non posse reperiri plures Patres, aut Filios, quia vnus itreceptibilis in materia; sed hæc ratio procedit de potentia Dei absoluta, & convenit etiam Angelis: ergo.

45 Ex quibus formatur ratio nostræ conclusionis: Nam implicat in terminis distinctio pure numerica, si repugnat radix illius; sed in Angelis repugnat radix distinctionis pure numerice: ergo. Minor probatur: Nam radix distinctionis substantialis, sicut & unitatis pure numerice est materia; sed Angeli sunt incapaces omnis materie, ut vidimus dab. præced. ergo repugnat eis radix distinctionis pure numerice. Maior probatur: Distinctio pure numerica substantialis est materialis; sed distinctio specifica est formalis; sed repugnat, quòd forma sit radix distinctionis, & unitatis pure materialis, sicut repugnat, quòd materia sit radix distinctionis, & unitatis formalis: ergo radix distinctionis, & unitatis pure numerice substantialis est materia.

Roboratur hoc: Nam unitas, & distinctio proveniens à forma vt à prima radice nequit non esse formalis & specifica, sicut distinctio proveniens ab albedine nequit non provenire ab ea vt tali (hi enim effectus, cum sint formales, nequeunt esse vtra, vel extra suas causas) ergo cum omnis distinctio, sicut & unitas in Angelis reperitur, & possibilis proveniat à forma, nequit non esse formalis & specifica.

46 Respondetis primò: A forma posse optime provenire distinctionem pure numericam: inter animas enim rationales intervenit distinctio pure numerica procedens ab ipsis formis. ¶ Contra est: Nam ideo animæ rationales distinguuntur pure numericè, quia dicunt ordinem ad corpus: ergo unitas & distinctio earum, quamvis proximè proveniat ab ipsis formis, radicaliter verò sumitur à materia: ergo cum Angelis repugnet ordo ad materiam, etiam repugnet eis distinctio pure numerica.

47 Respondetis secundò, quòd distinctio proveniens à forma est formalis, quando provenit ab ea secundum suam differentiam specificam; secus verò secundum suam differentiam individualement. Distinctio autem in Angelis potest oriri ab eorum formis secundum differen-

Paul. Theol. Salm. Tom. II.

tiam individualement præcise; & ita poterit inter eos intercedere distinctio pure numerica.

Contra est: Nam vbi non reperitur, nec potest reperiri differentia metaphysica pure numerica, non datur locus ad distinctionem pure numericam; sed implicat in terminis, quòd inter Angelos sit differentia metaphysica pure numerice: ergo. Minor probatur: Implicat in terminis, quòd differentia metaphysica proveniens physice tam proxime, quam radicaliter à forma sit pure numerica & materialis; sed omnis differentia in Angelis reperta, & possibilis, provenit physice tam proxime, quam radicaliter ab eorum formis: ergo nequit inter eos oriri differentia pure numerica. Maior constat ex dictis: nam sicut differentia specifica & formalis nequit physice tam proxime, quam radicaliter provenire à materia, ne effectus formalis sit vltra suam causam; ita repugnat, quòd differentia proveniens physice tam proxime, quam radicaliter à forma sit pure materialis, & numerica.

48 Respondetis tertio, unitatem, & distinctionem pure numericam in Angelis desumi posse per ordinem ad substantiam, aut existentiam, aut per ordinem ad ali quod accidens, vt non obstat deducitur ex D. Thoma in 1. dist. 34. quæst. 1. art. 1.

Contra est: Nam imprimis dato quòd distinctio & unitas numerica in Angelis desumatur per ordinem ad substantiam, repugnat tamen, quòd ab ea desumatur distinctio & unitas pure numerica, & quæ non sit distinctio etiam formalis: ergo, estò distinctio numerica in Angelis desumeretur per ordinem ad substantiam, nequit inter eos intercedere distinctio tantum numerica. Probatur antecedens: Distinctio pure numerica est tantum materialis: ergo debet desumi, tanquam à prima radice; ab eo quòd habet præcise rationem materie, seu pure potentie; sed substantia nec habet, nec potest habere præcise rationem materie seu pure potentie, cum sit actus forme: ergo. ¶ Confirmatur: Quia forma angelica est actus, nequit ab ea tanquam à prima radice physice provenire distinctio pure numerica & materialis; sed hæc ratio æquè vtget in eius substantia: ergo. Adde: Sicut repugnat, quòd quantitas vt formaliter habita sit radix distinctionis numerice in substantijs materialibus, sed tantum quantitas vt radicaliter præhabita, ita repugnat, quòd substantia vt formaliter habita sit principium individuationis, sed tantum vt radicaliter præhabita in forma: par enim est ratio in vtroque casu, vt ex se liquet; sed forma vt præhabens substantiam nequit esse radix distinctionis pure numerice: siquidem à forma vt tali nequit oriri distinctio & unitas, quæ non sit simul formalis: ergo.

49 Diximus dato quòd distinctio &c. Nam reverà substantia nequit esse radix individua-

R 129

tionis in rebus purè spiritualibus: Tum, quia nec quantitas, cum ex se sit individua, potest esse radix individuationis in re materiali: ergo nec substantia potest terminari purè spiritualibus. Patet consequentia: nam sicut quantitas est extra prædicata substantiæ rei materialis, ita substantia supponit naturam iam individuatam, ab eaque est separabilis: & ita eademmet numero natura angelica potest terminari purè spiritualibus, in qua hypothesi caret substantia propria. Tum etiam: quia idem materia ut præhabens quantitatem est radix individuationis substantiæ materialis, quia est pura potentia; sed substantia non habet rationem potentie respectu formæ, sed potius e contra, & multò minus rationem puræ potentie: ergo.

Neque locus relatus ex D. Thoma id suadet: Nam sensus illius non est, quòd substantia in rebus purè spiritualibus sit principium individuationis, sicut est materia prima in rebus materialibus; sed quòd substantia quodammodo conducit ad individuationem rei purè spiritualis, eò quòd est complementum naturæ ut individuatæ, & ab ea iam individuatæ quasi dimanat.

50 Hinc enervatum manet id, quod in evaluatione adducitur de existentia. Tum ob præfatas rationes. Tum & quia substantia est magis intima natura, quam existentia, cum existentia sit extra prædicata essentialia cuiuslibet creature; ergo si substantia non est principium & radix individuationis in rebus purè spiritualibus, neque existentia debet esse. Tum deinde: quia existentia competit per se primò naturæ substantiæ, ab eaque individuat: ergo natura subsistens potius est radix individuationis eius existentia, quam e converso. ¶ Non minus refellitur id, quod adducitur de accidentibus. Tum ex dictis. Tum, quia nullum accidens spirituale est ex se individuum. Tum, quia nec quantitas ut formaliter habita, est sit ex se individua, potest esse radix individuationis substantialis. Tum denique: quia omnia accidentia in rebus purè spiritualibus competunt eis ratione formæ, ab eaque dimanant vel secundum gradum genericum, vel secundum gradum specificum: ergo nullum accidens potest esse radix individuationis in rebus purè spiritualibus.

§. III.

Alia ratio D. Thomæ.

51 **A**lia ratione D. Thomæ ex locis supra relatis probatur nostra conclusio (& erit novum robur præcedentis.) Nam qualibet natura atomi Angelii est forma irreceptibilis in materia; sed formæ irreceptibilis in materia repugnat multiplicatio purè individualis: ergo repugnat naturæ atomi ange-

lici multiplicari in plura individua. Maior ex dictis dub. præced. satis constat. Minor probatur exemplo albedinis adducto à D. Thoma, & nuper relato: quæ quidem si esset tam actu, quam aptitudinè separata à materia, non posset adhuc per potentiam Dei absolutam, numero multiplicari. Probatur insuper exemplo divinarum personarum adducto etiam à D. Thoma, & supra etiam relato, quæ quia sunt formæ per se subsistentes, & nullam dicentes ordinem ad materiam, nequeunt tantum numero multiplicari: ergo si natura atomi Angelii est forma per se subsistens, nequit per potentiam Dei absolutam in plura individua dividi.

Probatur denique eadem minor ratione: Nam illi formæ repugnat dividi in plura individua, cui repugnat diversimode participari, & limitari; sed huiusmodi est forma irreceptibilis in materia: ergo repugnat ei dividi in plura individua. Maior solum eget explanatione: etenim unitas purè numerica est talis, ut limitet naturam specificam, ne in quolibet individuo reperiat cum omni sua amplitudine, sed reperiat in eo limitato modo: hincque provenit, quòd est omnia individua eiusdem speciei participant eius perfectionem, hæc tamen est in illis diverso & limitato modo. Minor verò probatur: Nam nunquodque limitatur per suum oppositum, v. g. actus per potentiam, forma per materiam: ergo formæ irreceptibilis in materia repugnat diversimode participari, & limitari.

52 Illustratur hæc ratio: Nam, ut supra dicit D. Thomas, forma irreceptibilis in materia est infinita, non ita ut habeat perfectionem positivè infinitam, ut male intelligunt D. Thomam Scotus & alij, sed quòd habeat perfectionem infinitam negativè ex parte modi habendi eam, hoc est, sine determinatione ad aliquem modum limitatum habendi eam; sed quòd est infinitum intra aliquam speciem, nequit intra eam multiplicari: ergo forma irreceptibilis in materia nequit numero multiplicari. Minor est certa: nam forma infinita intra eandem speciem continet totam perfectionem illius. Ob quam rationem esse Dei non potest esse nisi unum, ut rectè probat D. Thomas supra quest. 1. r. art. 3. Maior vero probatur: Nam unica radix participandi diverso & limitato modo eandem naturam specificam est materia: ergo forma irreceptibilis in materia est infinita negativè.

53 Et confirmatur: Nam in forma omninò irreceptibilis in materia idem sunt abque distinctione virtuali unitas formalis seu specificæ, & unitas individualis: ergo nequit purè individualiter multiplicari. Patet consequentia: tum quia unitas individualis nequit multiplicari individualiter, ut ex se liquet: tum, quia eo ipso quòd sit omninò idem, omnis multiplicatio individualis debet esse etiam specificæ. Antecedens verò probatur primò: nam propterea in

no-

Dub. II. Utrum de potentia absoluta possint dari plures Angeli &c.

nobis unitas numerica, & formalis seu specificæ distinguuntur virtualiter, & iuxta sententiam Scoti ex natura rei, quia habent diversas radices: unitas enim numerica sumitur à materia, & formalis seu specificæ à forma; sed eo ipso quòd forma sit omninò irreceptibilis in materia, ab eadem radice sumitur unitas numerica, & formalis: ergo non distinguuntur virtualiter. *Secundo*: Nam eo ipso quòd forma sit irreceptibilis in materia, habet quòd maneat individuatæ, & non indiget aliquo superaddito: sed ex hoc ipso manet in sua specie: ergo non distinguuntur adhuc virtualiter. Tertio auctoritate D. Thomæ supra quest. 3. art. 2. ad 3. ubi ait: *Forma, quæ non est irreceptibilis in materia, ex hoc ipso in individuo est; sed inde etiam habet unitatem specificam: ergo sentit eam distinguuntur virtualiter, sicut ob oppositam rationem distinguuntur in rebus materialibus.*

54 Respondebis huic rationi, simul & confirmationi, ex eis non satis inferri, naturam specificam Angelii non posse in plura individua multiplicari: siquidem genus, & differentia in Angelis sumuntur ab eadem radice; & non propterea sunt idem abque distinctione virtuali, neque differentia specificæ est tantum una. Item unitas specificæ & numerica accidentium sumuntur ab eadem radice, scilicet à subiecto; & tamen stat accidentia multiplicari solum numero, quamvis subiecta sint speciei distincta, ut liquet in visu hominis, & equi, & alijs accidentibus.

Sed contra est: Nam in forma per se subsistens creata datur sufficiens fundamentum, ut differentia specificæ distinguatur virtualiter à genere, & possit multiplicari, eò unitas generica, & specificæ desumatur ab eadem radice; sed cum hoc stat, quòd forma per se subsistens non præstet sufficiens fundamentum, ut unitas numerica distinguatur virtualiter ab unitate specificæ: ergo eòdè genus angelicum sit multiplicabile in plures differentias specificas, species verò nequit multiplicari in plura individua. Maior, & minor probantur ex discrimine inter unitatem specificam relatè ad genus, & unitatem numericam relatè ad speciem: Nam ut genus, & differentia distinguuntur in quolibet natura creata, sufficit, quòd hæc sit absolute finita & limitata, quia eo ipso illa natura generica est participabilis per diversos modos speciei diversos, & limitantes ipsum genus; sed ut natura specificæ multiplicetur in plura individua, non sufficit, quòd prædicta natura sit absolute finita, & limitata, sed in super desideratur, quòd sit limitata purè materialiter; quod in his, quæ carent materia, omninò repugnat: ergo. *Explicatur*: Differentia specificæ, utpotè formalis, debet desumi à forma: ergo dum forma est finita, possunt ab ea desumi unitas generica & differentialis, eòdè virtualiter distinguuntur; sed unitas

Paul. Theol. Salm. Tom. II.

purè numerica, utpotè materialis, nequit desumi à forma, sed à materia: ergo solum possunt distinguuntur virtualiter, in his quæ constant materia.

Id quod additur de accidentibus, facile dispellitur: Quia unitas numerica eorum dependet non solum à subiecto, sed ab alijs circumstantijs, temporis &c. & ita si subiectum connotat diversa tempora, possunt multiplicari numero. Item si recipiuntur in subiectis, secundum id in quo conveniunt, possunt numero multiplicari, ut liquet in exemplo visus nuper adducto: quia eorum unitas numerica, & specificæ sumuntur à subiectis sub diversa ratione in eis ex diverso capite repertis. Hoc autem non habet locum in unitate numerica, & specificæ Angelii: quia proveniunt ab eius forma secundum eandem rationem, ut vidimus supra ratione, & auctoritate: ideoque nequit unitas numerica in Angelis multiplicari, quin pariter unitas earum specificæ & formaliter multiplicetur.

§. IV.

Adversariorum opinio.

55 **O**ppositam opinionem teneunt communiter Scotus, & eius discipuli: quibus suffragantur Recentiores Societatis. His etiam adherent nonnulli Thomæ, ut videlicet Ferraræ 2. Contra gent. cap. 93. Bañez in præf. dub. 2. & alij.

Et arguitur primò, præcipuè contra nostram rationem, auctoritate D. Thomæ de *Spiritual. creatur.* art. 8. ad 4. ubi hæc habet verba: *Natura Angelii non prohibetur esse in multis, sed ex eo quòd pertinet ad rationem speciei, sed ex eo quòd pertinet ad rationem individui: ergo iuxta mentem D. Thomæ natura specificæ Angelorum non repugnat dividi purè individualiter.*

Confirmatur: Unitas numerica distinguuntur virtualiter in Angelo ab unitate specificæ: ergo possunt Angeli multiplicari individualiter, quin multiplicentur specie. Antecedens probatur: Nam ideo in natura divina non distinguuntur virtualiter unitas numerica & specificæ, quia est infinita & actus purus, & propter eandem rationem caret compositione non solum ex genere & differentia, sed etiam ex specie & differentia individuali; sed natura angelica est finita & limitata: ergo unitas eius numerica distinguuntur virtualiter à specificæ, ita ut earum deus compositione metaphysica.

56 Roboratur primò: Nam possumus formare in Angelo verum conceptum de natura specificæ, in quo non includatur differentia eius individualis; sed hoc arguit distinctionem virtutalem inter eius unitatem specificam & numericam: ergo. Maior probatur: Tum, quia possunt

R 2 mus